

05

A

868





78.

Q. D. B. V.
DISSERTATIO ETHICO-POLITICA
De
CONVERSATIONE

et
Virtutibus eam dirigentibus
in genere,

quam
in Celeberrimâ ad Albim Academiâ
publica disquisitioni sistunt

P R Æ S E S

M. SAMUEL HENTSCHEL

Lefnensis,

ET RESPONDENS

GODOFREDUS GEBAUERUS

Wolaviâ-Silesius.

ad diem 16. Julij A. M. DC. LIX.

WITTEBERGÆ,
Typis JOBI WILHELMI FINCELII.

78





05 A 868

27

De Conversatione & Virtutibus Homileticis in genere.

- | | |
|--|---|
| <p>I. Conversatio magnum in vitâ humana bonum, si prudens: sed ea rara inter homines.</p> <p>II. Aristoteli observatus hic defectus.</p> <p>III. Homileticarum Virtutum <i>ὀνομαστολογία</i>.</p> <p>IV. Earundem constitutio descriptione & effectibus declaratur.</p> <p>V. Instituitur de conversatione tractatio, eaq; in species dividitur.</p> <p>VI. Oeconomica Conversatio speciatim expenditur & dividitur.</p> <p>VII. De Politica agitur conversatione & ejusdem differentijs.</p> <p>VIII. Quæ sit Ethica Conversatio docetur. Ea non multum ab amicitia, sed tamen distat.</p> <p>IX. Scholastica Conversatio describitur. Hæc durabilis amicitia principium.</p> <p>X. Ecclesiastica Conversatio ejusq; varietas.</p> <p>XI. Personæ Conversantes observandæ & distinguendæ.</p> <p>XII. Objectum Conversationis compendio recensetur.</p> <p>XIII. Discrimen Conversationis ab amicitia, quatuor diversitatis rationibus urgetur.</p> <p>XIV. Conversandum omninò esse Hominis conditio svadet.</p> <p>XV. Idem Naturæ instituta volunt. Bordinns notatur, itemq; Grotius cir-</p> | <p>ca civilis Conversationis originem.</p> <p>XVI. Natura dotibus suis ad conversationem allicit.</p> <p>XVII. Conversatio suis sibi utilitatibus patrocinator.</p> <p>XVIII. Solitudinis tædium conversationem commendat.</p> <p>XIX. Afferitur conversatio adversus solitudinis patronos. Non impedit cultum divinum.</p> <p>XX. Studiis non est adversa, nec Philosophis exosa. Timon Misanthropus.</p> <p>XXI. Vitiatorum per se non est seminarium.</p> <p>XXII. Vita Monastica improbatur. Jacobi Boulduci commenta.</p> <p>XXIII. Cum quibus Conversandū generatim præscribitur.</p> <p>XXIV. Cum infidelibus certâ ratione licet conversari.</p> <p>XXV. Juventus Jesuitarum Scholis malè creditur, aut non sine periculo.</p> <p>XXVI. Conversatrices virtutes, differunt à Conversationis principiis. Quæ Virtutes conversationem adjuvent.</p> <p>XXVII. Tres Virtutes Homileticæ.</p> |
|--|---|



Non indignum esse vitâ humanâ, quo innocens nos Natura ducit: nec proſcribendam ex genere nostro ſocietatem, liberè fatebuntur illi, quos generis humani nondum occupavit odium, quiq; natos eſſe nos, ut inter omnes ſit ſocietas quædam, advertunt. *In omni honeſto, veriffimè Cicero ait, nihil eſt tam illuſtre, nec quod latius pateat, quam conjunctio inter homines hominum, & quaſi quædam ſocietas, & communicatio utilitatum, & ipſa caritas generis humani: qua nata à primo ſatu, quo à procreatoribus nati diliguntur, & tota domus conjugio & ſtirpe conjungitur, ſerpit ſenſim foras, cognationibus primùm, tum affinitatibus, deinde amicitijs, poſt vicinitatibus, tum civibus & ijs, qui publicè ſocij, atq; amici ſunt, deinde totius complexu gentis humanæ.* Quantum verò in ſe habet gratiæ ſocietas, tantùm ſi rectè ineatur, & obſervetur legitimè, habebit admirationis. Ut enim vitæ noſtræ communitate longiffimè recedimus à naturâ ferarum, ita prudentiâ & moderatione communitatis ad ſuperos accedimus. Sed hinc ut plurimùm aqua hæret potiffimæ hominum parti. Quàm enim ſociabile eſt Homo naturâ animal, tam fit hominum ipſorum vitio diſſociabile. Hinc videas rariffimè vel duos tantùm, quamlibet maximâ ſocietatis neceſſitudine devinctos, ad æquum, concordem & ſtabilem convictum cõire poſſe. Ut de majoribus hominum cõitibus, urbibus aut pagis integris, totis etiam collegijs & contuberniis in præſenti nihil dicam; cui obſcurum eſt, qvali mas & fœmina, matrimonio conjuncti, ſocietatis lege ad cohabitationem mutuam, tranqvillam & perpetuâ obſtricti ſint? quorum tamen plurimi irreconciliabilibus diſſidiis ſingulis propè horis ſe diſjungunt. Rarò unius milliariſ ſpatium conjunctis pedum operis, duo emetiuntur homines, qui ſermonum immodestiâ ſocietatem non diſrumpunt. Nec fratrum etiam conſuetudines ſatis ſibi conſtant. Adeò rectè Poëta ſeqvioris ſæculi depinxit mores Metam. fab. 5.

Non hospes ab hospite tutus,
Nec ſocer à genero: fratrum quoq; gratia rara,
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti:

Lurida

Lurida terribiles miscent aconita novorocæ:

Filius ante diem patrios inquirat in annos.

Ita conjunctissimū quodq; naturā, in humano genere suo opte vitio parū cohæret. Frustrā ergō credunt silere hīc posse morū directricem, prudentiā, aut innatā facilitate homines conversatricem supplere moderationem, quā docti etiā & temperati viri, multis eruditi præceptis, vix assequuntur. *Guazzus* equidem *L. 1. de Civili Conversat.* pronunciat: *Propria Conversationis maximā ex parte etiam hominibus incultis & rudibus nota esse.* Ab istis tamen propriis ipse distingvit ea quæ in conversatione principaliter requiruntur, quæ valia tractare sibi, tanquam ignota vulgo, proposuit. Ut etiam rudiores quædam circa conversationem norint, non adeo multa tamen, nec distinctè satis, omnium verò minimè prudenter ad usum convertere norunt. *Ex omnibus seculis* vix tria aut quatuor nominantur paria amicorum. Ita *Cicero* de rara inter homines amicitia conqueritur in *Lælio*. Sed enim difficilius sæpè est conversationem cum amicis quam ipsam amicitiam tenere. Et prima ut plurimum ruina amicitiae conversationis imprudentia est. Unde non abs re *Pythagoras* monuit: *Ea ratione invicem conversandum, uti ne ex amicis inimicos, verum ex inimicis amicos faciamus.* Ut habet *Laërtius* in ejus *Vita* lib. VIII.

§. II. In id prudenter intendens *Aristoteles*, excedere hic facile homines, & deviare à mediā & regiā Virtutis semita, observavit. Ita ille *l. IV. Eth. c. IV.* *Ἐν δὲ ταῖς ὀμιλίαις καὶ συζητήσιν, καὶ λόγων καὶ πραγμάτων κοινωνεῖν, οἱ μὲν ἀρεσκοὶ δοκοῦσιν εἶναι. οἱ πάντα πρὸς ἡδονὴν ἐπαινεῦντες, καὶ ἄθεν ἀντιτείνοντες, ἀλλὰ δὴ οἰόμενοι δεῖν ἀλυποὶ τοῖς ἐντυγχάνουσιν εἶναι: Sed in congressibus & convictu, sermonumq; & negotiorum communitate, esse alij placidi & obsequiosi videntur, omnia ad voluptatem laudantes, nullaq; in re adversantes sed minimè se molestos esse debere censentes ijs, quibus cum habent consuetudinem.* Id unum genus eorum est, qui circa conversationem impingunt. Cum hominum Conversationi maximè apti esse volunt, inepti maximè fiunt: hi factis hominum, non prudentiæ, non veritatis legibus conversationem

tionem laudesq; suas accommodant: quicquid feceris id rectum
 justumq; pronunciat, dummodo societate illi, ut plurimum
 sibi utili, fruatur. Hoc procul dubio vitium est, quod similli-
 mum amicitiae, non imitatur saltē illam, sed vincit & praecedit: eoque
 ipso gratiosos facit, quo laedit, ut habet Seneca in Epist. Tales sunt
 Aristoteli ἰδὲν ἀντιπείνοντες. Aliud praeterea hominum genus
 describit Aristoteles, quod ad civilem conversationem aequum est
 ineptum ac prius illud, sed contraria ratione. Οἱ δ' ἐξ ἐναντίας
 τούτοις πρὸς πάντι ἀντιτυπῶντες, καὶ τὸ λυπεῖν, ἔδ' ὁ πᾶν φρο-
 νίζοντες. Alii è contrario iis in omnibus adversantes, nihilque,
 an molesti sint, curantes.

§. III. Optimo igitur consilio idem morum Magister, ut
 huic morbo mederetur, Homileticas virtutes tradidit: de quibus
 antequam disquiramus, nomen earum parumper excutien-
 dum est. Ὀμιλία & ὀμιλία à verbo ὀμιλέω deducuntur, cujus
 originem quidam etiam altius repetunt. Ita *Matthiae Martinio*
 in *Cadmo Graeco*. Phoen. ὀμιλία est ab ὀμῶ εἰλείω quod unā
 cogatur s. congregetur p. 1172. Ἐιλείω complicari & εἰλεῖν
 etiam coadunare & congregare Graecis notat. Eidem non di-
 splicet compositio ex ὀμῶ & ἰλη agmen. Quamquam id vocabu-
 lum de turmā, quae certum equitum numerum complectitur, fe-
 rē adhibeatur. Quoad significationem, ὀμιλία saepius pro col-
 loquio & sermone, praesertim familiari ponitur. Item pro do-
 ctinā nonnunquam, ut apud Xenoph. λαμβάνει τῆς ὀμιλίας
 μισθόν: mercedem doctrinae accipere. Ut ita vocabulum hoc, quod
 colloquium praecise notat, pro varijs sermonum & collocutio-
 num generibus, suas etiam significationes variet. Ad rem vene-
 ream quoque transfertur, quā significatione ab Aristotele in Poli-
 tics aliquoties usurpatur. Nobis hoc loco ὀμιλία idem est quod
 familiaris conversatio. Hoc sensu *Isocrates ad Nicoclem* Sapi-
 entes vocat: ὀμιλεῖν τοῖς ἀνθρώποις δυναμένους, qui cum homini-
 bus conversari commodè possunt. Hinc ὀμιλητικὴ vocantur virtu-
 tis, quasi conversatrices; quia non solum animos hominum per
 iram distractos conjungunt, sed etiam ad civilem conversationē
 plurimum faciunt. *V. D. Wendeler. Phil. Praet. l. I. Sect. II. c. 9 p. 318.*

§. IV. Sunt autem Virtutes Homileticae quae docent, quo
 pacto

pacto in quotidianâ vitâ possimus cum alijs conversari tum
 quoad sermonem, tum quoad mores, ut nostra conversatio ipsis
 sit grata & jucunda, ita tamen ut honestas servetur, eiq; nihil
 decedat. Duo ergo præstant conversationi humanæ istæ virtu-
 tes. 1. Animos hominum familiaritatis ignaros, sive etiam per-
 iram distractos conjungunt, adeoq; mentes hominum uniunt &
 reduniunt: 2. Inchoatam semel conversationem & familiarita-
 tem alunt, & virtuosâ hâc moderatione commodam efficiunt,
 dum & in sermonibus & in actionibus ita nos erga alios geri-
 mus, ut nostrâ conversatione neminem offendamus, aut cui-
 quam molesti simus. Duobus autem his modis præcipuè homi-
 nes inter se communicant, sermone & actionibus. *V. D. Wen-*
deleri Phil. Pract. l. 3. sect. II. c. 9. p. 319. Joh. Magiri Comment. in
Aristot. l. II. Eth. c. 7. & l. IV. Eth. c. VI. Siebenthal Colleg. Eth.
Disp. XII. §. 1. D. Christiani Matthie System. Eth. l. III. Exerc. VI.
Rudolph. Goclenij Exerc. Ethic. Disp. VIII.

§. V. Sed ut tantò rectius & plenius de Virtutibus Homile-
 ticis differere queamus, prius de *Conversatione* nobis agendum
 est. Conversationem Latini Autores conviæctum, consuetudi-
 nem, communitatem, Societatem, congressus, familiares &c.
 vocant. Stephanus Gvazzus l. I. *Conversationem civilem* vocat
 non solo civitatis respectu, sed consideratione habitâ & morum
 & modorum qui eam civilem reddunt. Ut quis autem civili-
 ter vivat, id non à civitate, sed ab animi qualitate dependere
 ait. Summatim ergo civilem conversationem vocat *honestam,*
laudabilem, & virtuti cum primis congruam. Hanc l. II. *De Ci-*
vil. convers. Dividit in *Forensensem & Domesticam,* sive in *Popula-*
rem & Familiarem, sive ut tertio ipse exprimit in *publicam & pri-*
vatam. Plenius pro ratione statuum hominis dividi potest. In
 1. Oeconomicam s. Domesticam 2. Politicam s. civilem 3. E-
 thicam s. moralem, 4. Scholasticam 5. Ecclesiasticam
V. D. Christ. Matthie System. Eth. l. III. Exerc. VI. p. 202.
 Quamquam & Gvazzus de singulis propemodùm his speciebus
 plurima moneat. Plerasq; etiam Cicero complectitur *lib. I.*
De Officijs, Gradus autem plures sunt societatis hominum. Ut eo-
nim ab illâ discedatur infinitâ, propior est ejusdem gentis,
nationis

nationis, lingua, quã maximè homines conjunguntur: interius etiam est ejusdem esse civitatis. Habet hic communem quãdam hominum conversationem, quã infinitam vocat, & postea immensam generis humani societatem, quia nec personis, nec locis nec temporibus determinari potest. Habet & alteram, quã ejusdem gentis vocat. Subdit post pauca: *Arctior verò colligatio est societas propinquorum: ab illã enim immensã societate humani generis in exiguum angustumq; concluditur. Prima societas in ipso est conjugio, proxima in liberis, deinde una domus, communia omnia. Ita Domesticam & propinquorum conversationem ostendit. Tandem etiam de Morali quãdam habet: Sed omnium Societatum nulla præstantior, nulla firmitior, quam cum viri boni, moribus similes sunt familiaritate conjuncti.*

§. VI. *Oeconomica* Conversatio est, quæ respicit societatem hominum in eadem familiã viventium. Hanc secundum personarum varietates dispescere possis in 1. γαμικὴν s. matrimonialem, quæ est inter maritum & uxorem. 2. πατρικὴν quæ est inter parentes & liberos. 3. Δεσποτικὴν quæ inter Dominum & servum. 4. ξενικὴν, quæ inter hospites activos & passivos. Hanc domesticam accidentalem vocat D. Christ. Matthiæ Syst. Eth. l. III. p. 20.

§. VII. *Politica* s. civilis conversatio est quæ respicit societatem hominum in eadem Politã sive Republicã viventium iisdemq; legibus utentium. *Multa sunt enim civibus inter se communia, forum, fana porticus, viae, leges, jura, judicia, suffragia, consuetudines præterea & familiaritates, multaq; cum multis res rationesq; contractæ.* Ut Cicero habet I. De Officijs. Hanc faciunt vel nudam, vel juramento confirmatam. Conversationem nudam dicunt, quæ fit absq; obligatione utriusq; partis mutuã, inque externis & civilibus negotiis, utpote commerciis seu negotiationibus consistit. Conversatio v. juramento confirmata propriè fœderis nomine venit D. Christiano Matthiæ Syst. Eth. p. 206. Non attendimus verò hic præcipuè principalem illam fœderis significationem de quã Grotius l. II. De Jure Pacis ac Belli c. 15. docet ex Livii l. IX. Fœdera esse quæ fiunt jussu summæ potestatis, & in quibus

quibus ipse populus iræ divinæ obstringitur, si minus stetur di-
ctis. Item. In regnis regum est foedus facere, Sed ab istis matu-
rè manum abstinemus.

§. VIII. *Ethica* sive moralis Conversatio dicitur unio s.
conspiratio unius hominis cum alio in exercitijs morum s. ho-
nestatis, quando videl. amicus amico totum sese communicat,
secreta omnia revelat, in prosperis congratulatur, in adversis
condolet & compatitur, & cœtera amicitiaë officia exsequitur.
Ex quibus facilè patet hanc Conversationis speciem cum amici-
tiâ semper conjunctam esse, nec multùm ab illâ distare. Hæc e-
nim conversatio benevolentiaë vinculo componitur, quæ bene-
volentia, cum in conversatione verbis, factis & officiis declare-
tur, non potest latere (id autem amicitiaë requisitum est, *V. D.*
Wendeleri Phil. Pract. p. 482.) sicut omnis conversatio externis s.
verbis s. factis, sive utroq; perficitur. Est itaq; hîc vera, aperta, &
actuosa quorundam inter se benevolentia, quemadmodum a-
liàs in amicitiaë amor benevolentiaë non ut habitus præcipuè
spectatur, sed potius ut actus, ubi habitus in actum, affectus in
effectum, cupere in facere & cogitatum in operatum vertitur, u-
ti habet *Henricus Nicolai Gymnas. Eth. Exerc. XV. §. 8.* Id tamen
notandum, amicitiaë ista quæ diximus officia, unicè hîc in con-
versatione fieri, & ad conversationem tendere, quo ipso diffe-
rentiam aliquam hujus conversationis ab amicitiaë constituere
possumus. Non enim amicitia proprie est conjunctio vel unio,
ut *Keckermannus & Timplerus* volunt: & latius se amicitia ex-
tendit quam ad conversationem & conjunctionem. Probi enim
& veri amici καὶ μακρὰν ἀπόστασιν ἀγαπῶσι: etiam longè remotos
amant, ut est apud *Isocratem* in *Parrenesi ad Demonicum*: Sicut
nec cum omni conversatione conjuncta amicitia est, quo de po-
stea speciatim agemus.

§. IX. Conversatio *Scholastica* consistit inter condiscipu-
los & Studiosos qui in uno eodemq; Gymnasio sive Academia
informantur. Hîc *Pythagoræ* disciplina, ut in cæteris quibusdam
alijs, singulare aliquid habuit. Nam omnes simul, qui à *Pythago-
râ* in cohortem discipulorum recepti erant, quod quisq; familiaë

B

pecu-

pecuniæq; habebat in medium dabant, & coibatur societas inseparabilis, tanquam illud fuerit antiquum consortium, quod appellabatur *κοινóβιον*. Ut testatur *A. Gellius Noct. Attic. l. 1 c. 9.* Et si verò in Scholis omnibus tam arcta non sit societas, est tamen conversatio quædam, quæ Virtutibus homileticis etiam vult dirigi, siquidem commoda esse debeat. Hujus etiã tanta vis est, ut amicitia indè ortæ ad fenectutem usq; firmissimè durent, religiosâ quâdam necessitudine imbutæ. *Neq; enim est sanctius sacris ijsdem quam studijs initiari. M. Fab. Quintil. Instit. Orat. l. 1 c. 2.* Id satis exempla docent. Alexander M. quia Theodectem, quum Aristotelem unâ audiret, familiarem gratumq; habuerat, cum apud Phaselitas moraretur, & statuam Theodecti à civibus in foro positam vidisset, saltabundus eò processit, frequentesq; ei coronas iniecit. V. Plutarchum, itemq; Suidam. V. *Θεοδέκτου*. Porro T. Pomp. Atticus, ut ex Nepote in ejus Vitâ habemus, condiscipulos L. Torquatum C. Marium & M. Ciceronem, consuetudine suâ sic sibi devinxit, ut nemo ijs perpetuò fuerit charior. Ad quem locum Excellent. *Buchnerus* vim & firmitatem amicitia in primâ annorum simplicitate inter commercia literarum contractæ, notat, *Prælect. in Vitam Attici.*

§. X. *Ecclesiastica* deniq; Conversatio consistit inter homines in Ecclesia degentes. Hanc dividunt in Externam & Internam. *Externa* est, quæ consistit in ejusdem verbi prædicati auditione, & Sacramentorum eorundem usurpatione: Sive quâ omnes homines, tam fideles, quam infideles per verbum Evangelii vocati, communia sacra tractant, inq; unum corpus cõalescunt. *Interna* consistit in cultu ejusdem DEI, in unitate fidei & verâ agnitione Christi. Sive quâ omnes verè pii Christiani in unitate Spiritus & fidei copulantur, in unum corpus mysticum. V. D. *Christ. Matthiæ Syst. Eth. l. III. Exerc. VI. p. 202. & 210.*

§. XI. Atq; hæc sunt quæ de conversationum generibus & earum distinctionibus breviter annotare voluimus, quum videamus eas & occasionem dare variis quæstionibus; & ansam suppeditare motas quæstiones commodè resolvendi. Ex his nonnullæ erunt nobis in præsentî ventilandæ. Antequam autem eò convertimus disquisitionem nostram, in antecessum etiam alia quæ-

quædam monebimus, quæ viam nobis sternant ad commodiorem dubiorum resolutionem. Præter enim ipsius conversationis varietatem, notandæ etiam sunt *persona* conversantes quarum differentias observare non inutile erit. Possunt autem distingvi tum ratione fidei & *doctrinae*, quomodo erunt vel fideles, vel infideles. Sub his verò comprehendimus non solum Judæos, Turcas & Mahumetistas: sed etiam hæreticos, qui fundamenta salutis evertunt, ut Arianos, Photinianos, Servetianos: in nonnullis etiam quæstionibus omnes sequiorum religionum homines ad hanc classem referimus: tum ratione *Vitæ*, & sic quidam sunt pij ac inculpati viventes: quidam verò impij & manifestis sceleribus dediti: tum ratione *qualitatum*, & sic quidam sunt docti, quidam indocti, quidam pauperes quidam divites: alij faciles, alij morosi: tum ratione *dignitatis*, ita quidam sunt honorati & in sublimi statu, Principes, nobiles, officiales: quidam humiles & abjecti aut mediæ sortis: tum deniq; ratione *ætatis*. Ita quidam senes, quidam juvenes, quidam mediocri.

§. XII. De *Objectis* Conversationis id tantum notamus, quod habet *D. Christianus Matthiæ p. 203. Syst. Eth.* Ubi *Objecta* Conversationum, trium facit generum 1. *Φυσικά*. 2. *Πολιτικά*. 3. *Πνευματικά*: hoc est concernentia vitam vel Naturalem, vel civilem, vel Spiritualem. *Naturalem*, ut commune cælum, commune solum, commune salum. *Civilem* ut Respublica, leges contractus, & fœdera ad communem tranquillitatem & defensionem pertinentia. Huc referre possis locum *Ciceronis* quem supra §. 7. posuimus. *Spiritualem* ut doctrina, *εὐταξία* Ecclesiastica, morumq; disciplina.

§. XIII. Tandem priusquam aliquid moveamus circa Conversationem, imprimis id monendum est, ne confundatur cum amicitia. Putamus enim conversationem & amicitiam probe esse distingvenda, nec sine insigni Doctrinæ moralis confusione posse juxta haberi. Quæ observatio tantò minus negligenda fuit, quanto proclivior hic est ad confusionem via. Habitus n. ille qui conversationem derigit, *amicitia maximè est similis*, ut habet *Aristoteles l. IV. Eth. c. 6.* Similium verò facilis est confu-

ſio. Idem porro morum Doctor admonuit, quomodo & con-
verſatio & virtutes eam dirigentes ab amicitia ſint diſtinguen-
da. Διαφέρει δὲ τῆς Φιλίας, ὅτι ἄνευ πάθους ἐστὶ καὶ τῶν σέρ-
γειν, οἷς ὁμιλεῖ. ἕτε γὰρ τῶν φιλεῖν ἢ ἐκθραίνειν ἀποδέχεται
ἕκαστα ὡς δεῖ, ἀλλὰ τῶν τοῖστ' εἶναι. *Ab amicitia autem dif-*
fert, quid ſit ſine affectu & charitate in eos, quibus cum verſatur.
Neq; enim quia amat vel odit, admittit ſingula, ut debet, ſed quia eſt
talis. Patet ex his quod auguſtior certâ ratione ſit amicitia
quam converſatio, quia converſatio etiam inter eos eſt, quos
charitatis affectus non conjungit, imò ad notos & ignotos ſe o-
ſtendit. Quod itidem Ariſtoteli eſt obſervatum, dum ſubjungit:
ὁμοίως γὰρ πρὸς ἀγνώτους καὶ γνωρίμους, καὶ ſυνήθεις καὶ ἀſυνή-
θεις ποιήſει. *Non pariter apud notos & ignotos, & apud familiā-*
res & non familiares idem eſt factururus. Amicitia verò certa ſunt
officia quæ ſolis reſervantur amacis; ignotis verò haut ſolent
præſtari. Diſtingvere itaq; converſationem ab amicitia poteris-
mus 1. *Formâ*, quia amicis cum ijs tantum familiariter verſatur
quos amat: at familiaris non amoris cauſâ eſt familiaris, ſed
quia eo ingenio eſt præditus ut in omnibus facilis ſit, 2. *Materia.*
Quia amicus ergà amicos & notos facilem ſe præbet: at fami-
liaris & humanus ergà quosvis familiaris eſt, decori tamen ra-
tione babitâ in circumſtantijs: cum alia ſit ratio familiaritatis
ergà notos, alia ergà ignotos; alia erga cives, alia erga peregri-
nos: alia erga viros illuſtres, alia erga plebejos. *V. Goclenij E-*
xerc. Eth. Diſp. 8. 3. Diverſimodè etiam æſtimari ſolent ab Ethicis
amicitia & converſatio, & diverſas de ijs leges ponunt. Cum
multis licet converſari, immò cum ijs omnibus cum quibus nos
negotium aliquod, aut occaſio, & oblata commodè ſocietas
converſari jubet: cum paucis verò ineunda amicitia. 4. Con-
verſatio ut plurimum prior eſt amicitia, quia hujus ſæpè cauſa
eſt, & ex Sapientum Judiciſ prærequisitum. Quà de re pruden-
ter & copioſè præcipit *Seneca Epist. II.* Neq; tamen ita arctè
ſunt connexa, ut neceſſariò cohæreant. Multoties enim con-
verſatio inſtituitur, quam amicitia non conſequitur. 5. Deniq;
ipſa converſationum genera & exempla docent, quid inter ami-
citiam

citiam & conversationem interfit. Neq; n. qui in Republ. eadem, neq; qui in eadem Ecclesiâ vivunt, neq; qui iisdem innutrientur Scholis amici omnes sunt: Vix una domus amicos duos conjuges habet, quorum tamen aliud conversatio, aliud amicitia est. Moralis verò sive Ethica conversatio parùm quidem ab amicitia, sed tamen abit, quod antea nobis est monitum.

§. XIV. Nunc ea quæ commodè hîc disquiri possunt, breviter attingemus. Ac primum quidem, *an sit cum alijs conversandum?* Id enim si licitum aut honestum non est, vana erit reliqua omnis nostra dissertatio. Sed suppetunt validæ & sufficientes rationes, quibus id asserere queamus. Primam desumimus à *conditione & perfectione hominis*. Sicuti res omnes quas terrarum ambitus complectitur in hominis usum creatæ sunt; ita homo ad hominis utilitatem est conditus, ut Magistram Naturam secuti alij alijs mutuò succurrant, & conferant simul communes utilitates, dando recipiendòq; , & ut artibus, operis ac facultatibus inter se conjungantur & obligentur. *V. Guazzum de Conversat. civili lib. I.* Unde ad communes mensas & familiares congressus quasi naturâ ferimur: nec pauci inveniuntur, quibus omnes desipiunt extra societatem delitiæ. *Natura solitarium nihil amat, semperq; ad aliquod tanquam ad maniculum adnititur*, verissimè Cicero ait in Lælio. Nectemerè S. Lingva hominem *שׂוֹכֵן* vocat, quo vocabulo hominem ob infirmitatem & ægri- tudinem denominari ajunt, quia Ebræum *שׂוֹכֵן* agrum esse sive infirmitate affici significet: Arabica verò lingua nobis sup- peditat quod ad præsentem rationem facit. Namq; *شريك*

significat *familiarem & assueum reddidit*, unde *شريك* non tantum genus humanum; sed eum etiam notat qui *intimus est socius & perquam familiaris*. Huc referre possis, quod quidam dicunt, hominem ab *omnibus simul* deduci, quod præ reliquis animalibus omnibus maximè sociabilis sit homo. *Plutarchus* etiam hominem à Veteribus *Phota* à luce appellatū scribit, quod innotescēdi cognoscendiq; ex affinitate unicuiq; ingens

eupido insita sit. Num rectè dictū sit: ita vive &c. Qui igitur à conversatione planè abhorret, excusisse videtur humanam naturā, & aut beluam immanitate excedere, aut hominem religione vincere. μή γδ δυνατόμενον κοινωνεῖν, ἢ θήριον ἢ θεὸν εἶναι, concludit Arist. I. Polit. c. 2.

§. XV. Secundam rationem derivamus à *Natura instituto*. Ipsa enim Natura certas instituit conversationes. Igitur conversandum est. Instituit enim Natura & Maximus ejusdem Autor, conversationem, *matrimoniale*. Id ipsum quanquam satis sit manifestum, derivare insuper possumus ex Naturæ primūm institutæ legibus. Quæ enim Vulgatus habet Gen. II. 18. *Faciamus homini adjutorium simile sibi*, ea in fontibus sic leguntur: **אֶעֱשֶׂה לּוֹ עֹזֵר כְּנַגְדּוֹ**, quod *Sebast. Castalio* exprimit: *faciam ei adjumentū accommodatum*. Versu verò 20. ubi repetitur illud **עֹזֵר כְּנַגְדּוֹ** vertit: *adjumentum idoneum*. Plenius B. Lutherus particularum hic conjunctarum vim exprimit: *Ich wil ihm ein Gehülffen machen die umb ihn sey*: Ita etiam v. 20. *Eine Gehülffin die umb ihn wäre*. Nomen enim **נג** semper Propositionis sustinet officium, & significat, *ante, coram, prestò*. Hoc verò loco suscipit ab initio Caph, ut integrum vocabulum plenè exprimat: *quasi coram ipso*; aut commodè magis: *quod coram ipso*. Significatur ergò istà voce cohabitatio, quod mulier coram marito suo semper & individuā consuetudine vivat, ut non malè exprimit *Försterus in Lexico*. Quamq. autem lubentes fateamur, plura isto modo loquendi notari, quam nudam conversationis societatem, attamen ista vel maximè hic connotatur. Porro Conversationem *Politica* à DEO esse institutam dubitare nefas est. Quemadmodum enim omnia entia esse suum dependens & participatū habent à summo illo Ente: ita & imperia ab unico hoc fonte. DEUS certè varias Rerump. formas, vias & mutationes ordinat, gaudetq; distinctione statuum & ordinatā hominum dispositione, quod *Siracides* etiam profitetur Cap. XXXIII, v. II. Nihil hic moramur Epicuri opinionem, qui homines temerè & fortui-

tuito casu coaluisse somniat. Nec *Bodini* assertio nobis probatur qui *I. de Rep. c. 6.* imperia omnia vi primùm cœpisse contendit. Hominum verò inclinationem & voluntatem inter causas *μεγαταρκτηκας* hujus Societatis numeramus, cui tamen non est nimiùm tribuendum. Ubi impingere videtur *Hugo Grotius*, qui *Lib I. de Jur. Pac. ac Belli cap. IV.* homines scribit primò non *DEI* præcepto, sed spontè adductos experimento infirmitatis familiarum segregum adversus violentiam, in societatem civilem coijisse, unde ortum habet potestas civilis, quam ideò humanam ordinationem *Petrus* vocat: quanquam alibi & divina ordinatio vocatur, quia hominum salubre institutum *DEUS* probavit. Sed *S. Petrus I. Ep. II, 13.* civilem potestatem vocat *ἀνθρώπινην κτίσιν*. Vox *κτίσεως* verò nuspiam in Scripturis significat constitutionem s. ordinationē. Sicut igitur dicitur: creare Magistratum, ita quoq; *κτίσις* dicitur is qui in Magistratu est constitutus. Humana igitur creatura est homo in Magistratū officio constitutus, quem Magistratum esse creatum constat. *V. B. Gerhardum h. l. p. 253.* Immò dum præcipit Subjectionem propter Dominum: *DEUM* utiq; autorem facit civilis societatis, cujus autoritate potestas civilis viget. Magis igitur nobis probatur *Schönborneri* pronunciatum *lib. I. Polit. c. IV.* Causam societati civili dedit naturalis hominum inclinatio, divino afflatu incitata. Præterea ipsis etiam brutorū quorundā consuetudinibus ostendit Natura, quam conveniat homines inter se conversari. Videmus n. bestias nonnullas ex naturali instinctu societatis humanæ amabilitatem æmulari. Apum examina testantur jucundissimum esse his animalculis communē convictum: quinimò societatis suæ ordine videntur ad hominū civiles ordine accederes. Oves admodum amant societatem, quæ amorē clamore continuo produnt. *V. B. Franzij Histor. Animal. part. I. c. 22.* Pompilos pisces *Oppianus* memorat *ἀλιευτικῶν lib. I.* ad naves congregari, easq; ita individuo comitatu sequi ut

ὑπὸ δεσμῶ

Φαίης εὐγόμεφοισιν ἐνισχομένους πινάκεσιν

Ελκομένους ἀέκοντας ἀναγκάισιν ἀγεῶς

Vinculo diceres detentos benè compactis tabulis tractos invitos per
vires

vim duci. Quas congregaciones cum populo qui Regem aut Victorem Athleticum cum pueris juvenibus & viris consequitur, bellè comparat Oppianus.

§. XVI. Tertiò, à *natura dotibus* rationem petimus. Natura loquelam elargita est homini, non ut ipsemet secum colloqueretur, quod vanum esset & supervacaneum: sed ut eà utatur cū alijs agens. Cui ergò usui erit loquela, si proscribenda conversatio? Et si speciatim per usus loquelæ singulos eamus, res tantò clarior erit. Usus n. nobis præstat lingua in docendo, mandando, negotiando, consulendo, corrigendo, disputando, judicando, & universim exprimendo animi nostri affectus, quæ omnia ad hominè solum nihil pertinent. Conversationum verò genera, quæ ante recensuim⁹ his medijs adjuvantur & conservantur.

§. XVII. Quartum argumentum deducimus ex *utilitatibus* quæ honestā conversationem consequuntur. Prima & generalis est, quod vita humana omnem suum vigorem habet à decenti conversatione. Qui n. neq; Ecclesiasticā, neq; Politicā, neq; domesticā, neq; morali, neq; Scholasticā utitur conversatione, neque ullo alio modo cum hominibus communicat, quā ille tandem vitā, & cui bono agit? Neq; sibi neq; alijs prodest, qui cū nemine conversatur. Non alijs, quia nulla eos re, nec loquelā quidem adjuvat: Non sibi, quia miserā solitudine vitam affligit, & recepta generis humani solatia negligit. *Si omnem conversationem tollimus, & generi humano renunciamus, vivimusq; in nos tantum conversi: sequitur hanc solitudinem inopia rerum agenda- rim. Incipiemus adificia alia ponere, alia subvertere, & mare sub- movere, & aquas contra difficultates locorum ducere, & malè dispen- sare tempus, quod nobis natura consumendum dedit.* Seneca de *Tranquill. c. III.* Speciales verò utilitates quas præstat conversa- tio, non facilè in numerato habere possumus. Potissimas tamen ex consideratione personarū, quibus cum versamur, depromere facillimū erit. Vel n. conversamur cū eruditis, & doctiores inde evadimus: vel cum Magnatibus, & honorati exinde sumus, vel cū piis, & probiores efficimur: Vel cum ijs qui humilitate, tempe- rantia, justitiā aut aliis virtutibus nobis sese probant, & istorum

exem-

exemplis tum delectamur, tum ad imitationē rapimur. *Secedere ad optimos viros, & aliquod exemplum eligere, ad quod vitam dirigamus, licet, quod in otio non fit.* Seneca de otio aut secessu sapientis c. xxviii. Vel deniq; congressiones nostræ fiunt cum similibus, ubi similitudinis amabilitas lætitiā nobis ingerit. Atq; ut vel unū ex his paulatim persequamur, maximum sanè momentum ad augendā eruditionē situm est in frequenti cum viris eruditis conversatione. Iterum nobis audiendus Seneca Ep. CIV. *Cum Catonibus vive, cum Lelio, cum Tuberone: quod si convivere cum Grecis jurat, cum Socrate, cum Zenone versare. Vive cum Chrysippo, cum Posidonio. Hi tibi tradent divinorum humanorumq; notitiam.* Et Ep. VI. quantum non ad eruditionem solūm, sed ad omnem etiam honestatem faciat cum optimis conversari, docet: *Nulla res animos magis induit honestos, & in pravum inclinabiles revocat ad rectum, quam bonorum conversatio. Paulatim n. descendit in pectora & vim preceptorum obtinet frequenter aspici, frequenter audiri.* Stephanus Guazzus errare eos pronunciat, qui credunt doctrinam in solitudine inter libros acquiri potius, quam in conversatione inter homines doctos, ex sententiā Philosophicā: *Scientiam melius apprehendi auribus, quam oculis.* Item ex scito illo: *Utilius esse cū vivis loqui quam cum mortuis.* Idem asserere non dubitat, principium & finem scientiarum à conversatione dependere, quia literatus de suā scientiā nihil polliceri sibi possit, nisi cum alijs doctis conversetur, quibus cum discurrendo & disputando eruditionis suæ certus reddatur.

§. XVIII. 5. Solitudo quædam in vita humanā infelicitas est, unde & sceleratis ea pœna per leges imponitur, ut carcerum detenti repagulis à communi hominum arceantur consortio. Itaq; solitudo homini, cæteris etiam omnibus abundanti, acerba creditur. *Si quid tale posset contingere, ut aliquis nos Deus, ex hominum frequentia tolleretur, & in solitudine uspiam collocaret, atq; ibi suppedians omnium rerum, quas natura desiderat, abundantiam & copiam, hominis omnino aspiciendi potestatem eriperet: quis tam esset ferreus, qui eam vitam ferre posset? cuiq; non auferret fructum voluptatum omnium solitudo.* Cicero in Lelio. Ibidem memorat ab Archita Tarentino dici solitum: *Si quis cælum ascendisset, naturamq; mundi & pulchritudinem siderum percepisset, insuavem illam admirationem ei fore quæ jucundis-*
C. sima

sima fuisset, si aliquem cui narraret, habuisset.

§.XVIX. Hæc nostra sententia omnibus non est ad palatum. Non desunt n. qvi cum Diogene extra hominum consortium in dolio malint latitare, quam in celebritate honestè versari & cæterorum hominum societate prudenter uti: qvique ea sunt asperitate & immanitate naturæ, ut cum Timone illo Atheniensi, quem Cicero in *Lelio* memorat, congressus & societatem hominum fugiant atq; oderint: Quorum nonnulli id sine ratione faciunt ex cæco inclinationis & naturæ suæ instinctu, quos parùm nos moramur: quidam vero gravissimas in speciem rationes solitudini suæ obtendunt, & abstinendo ab hominum consortio supra vulgum, imo cæteros etiã mortales sapere volunt. *Primo*, quia solitudo cultui divino sit aptior, abstinendum à conversatione putant, ut sanctis occupationibus tantò sincerius quis vacare possit. Sed largiamur n. quasdam cultus divini partes & vel maximè orationem ac meditationem solitudinem sibi deprecari: id tamen neq; in iis necessarium absolute, neq; perpetuum est, Deus n. in V. T. certum locum publicum sibi sacrum esse & in eo invocari & qvæci voluit. Iphis etiam in Ecclesiâ fidelibus receptum est conjungere animi suspiria & junctis precum vocibus pulsare cælum, quam unitam preecantium vim DEO gratissimam esse, nemo pius negarit. Cætera vero pleraq; cultus divini exercitia sine societate quãdam nec esse nec perfici possunt. Neq; n. infirmos invisere, cum pauperibus agere, fratrem corrigere, afflictosq; consolari poterit, qui solus semper conclusus manserit. Ut de concionibus Ecclesiasticis & cæteris sacris publicis in præsentia nihil dicam.

§. XX. Deinde studijs accommodatiorem secessum ajunt, unde Philosophorum quorundam solitudines & latebræ, quoniam in istis animus liberior & magis sui juris. Pythagoram anno integro in subterraneo quodam specu latuisse *Laërtius* scribit; ac de *Timone Nicaeo*, Philosopho, prodit lib. IX. quod hortorũ fuerit maximè studiosus ac solitudinis amans. *M. Antonius* Timonis vitam se imitari eãq; delectari dixit, ideoq; post cladem Actiacam, urbe & amicorũ consuetudine omisã, aggere in mare apud Pharum immisso, habitationẽ sibi maritimam confecit, in eãq; exul hominum degebat, quod memorat *Plutarchus in Antonio*. *Plinius* solitudinem suam in Lau-

Laurentino deprædicat. lib. I. Ep. 9. Nihil audio quod audisse, nihil dico
 quod dixisse pœniteat. Nullâ spe, nullo timore sollicitor, mecum tantum &
 cum libellis loquor. Sed si fortè dandum est aliquid, singularibus in-
 geniis & ingeniorum studiis, quemadmodum Schonbornerus Pol.
 lib. I. c. 4. solitarios quosdam præstantiores naturam fecisse scribit.
 Et Cicero de Scipione ait III. Offic. due res, quæ langvorè afferunt cæ-
 teris, illū acuebant, otium & solitudo. Ipseq; Cicero plura brevi tempore
 in solitudine quam multis annis stanre Rep. in urbe se scripsisse i-
 bid. ait: id tamen non ad quosvis trahendum est. Ec Cicero de so-
 litudine suâ, quam modo memoravimus, ait: hanc mihi affert ne-
 cessitas, non voluntas. Sit verò aptissima omnibus studiis solitudo,
 ergone nunquam alios adire fas est? Quid si post studia & utile &
 pulchrum sit, quem solus tibi finxisti animum, aliorum moribus
 aptare, aliorum perficere judicijs: aut confectum studiorum tæ-
 dijs, jucundæ collationis quasi interstitio reficere. Neq; porro ita
 adversa studijs est societas ut vacare homo literis nisi solus neque-
 at: quod tantum abest, ut sui etiam perfectionem à doctâ collatio-
 ne studia petant. Differendo & disputando augemus eruditionem:
 alios verò audiendo primum eam acquirimus, nec certior alia, nec
 probata magis eruditis ad eruditionem via est. Quod si eodem per
 solitudinem ire possis, lumen tamen honestioris alicujus conventus
 tenebris præferendum. Quod igitur futuro Oratori inculcat *Quin-*
tilianus, id literarum omnium alumnis commendamus: *Ante o-*
mnia, cui in maximâ celebritate, & in mediâ Reip. luce vivendum est,
assuescat jam à tenero non reformidare homines, neq; illâ solitariâ & ve-
lut umbratili vitâ pallefcere. Quod verè deinde subdit, omnes sibi di-
 ctum facile intelligent: *Excitanda mens, & attollenda semper est,*
quæ in hujusmodi secretis aut langvescit, aut quæ endam velut in opaco si-
tum ducit: aut contra tumescit inani persuasione. Necessè est n. sibi ni-
mium tribuat, qui se nemini comparat. Deinde cum proferenda sunt
 studia, caligat in sole, & omnia nova offendit: ut qui solus didicerit,
 quod inter multos faciendum est. *Instit. Orat. c. 2.* Indoles hominis
 velut situm & senium per inertiam contrahit ex obscuritate. *At*
muta quies, vitâq; sedentaria in ocio recondita, non corpora tantum,
sed & animos labefacit, Plutarchus ait, ubi disquirat an rectè dictum
 sit: *Ita vive ut nemo te sentiat vixisse.* Philosophorum a. Veterum au-

steritas ut non omnibus probatur, ita non temerè imitanda est. Abdiderit se Pythagoras, licet, fecit id suo sensu. Timon verò qui nobis objicitur quemq; *Plutarchus* in *Antonio* Atheniensem vocat, & *Cicero* in *Lælio* Athenis fuisse dicit, & *Laërtius* genere Phliasium memorat, Veteribus misanthropi nomine infamis est, qui non conversationem tantum, sed & vitam ac salutem hominum oderit, ut satis ex *Plutarcho* constat, qui & illud *Callimachi* adnotavit: *Hic habito Timon, hominum osor.* M. Antonius non prius solitudinem quæsiuit, quam abiecit animum, quâ nominis sui gloriâ, facile est conjicere. *Plinius* secessu temperavit publicas curas, & de quietis in agro studijs sibi gratulatur, quas vices studijs dari posse concedimus.

§. XXI. Tandem vitia facilè ex consuetudine contrahi & admota per consortium mala facilè ad socios abire obtendunt. Hoc verò non conversari prohibet; sed non imprudenter conversari jubet. Dispiciendum ante cum quibus conversari oporteat, antequam ex solitudine abeas. Hic verò non improbi, non impuri & scelerati seligendi, sed quanto quis erit melior, tantò ad conversationem censendus aptior, quod deinceps monebimus. 2. Deinde & virtutes sociorum consuetudine paullatim animis sese ingerunt; quodq; in alijs laudabile videt animus honesti & gloriæ cupidus, id nunc severiùs imitari conatur, de quo antè vix cogitaverat. 3. Utinam verò nos mores nostros non ipsi perderemus? Multum nobis indulgemus cum soli sumus, cujus nos pudet præsentibus alijs. *Omnia nobis mala solitudo persuadet. Nemo est, cui non sanctius sit cū quolibet esse, quàm secum.* *Seneca* ait. Nihilò sæpè sanctiores sunt, qui in claustris delitescunt, cum & carcerum coërcitiones vitiosos rarò emendent. Da mentem ad pejora facilem, da negligentiam formandi custodiendiq; pudoris, tanto illa liberiq; in omnis generis libidines erumpet, quantò majora flagitijs occasionem secreta præbent. Ita sæpè non accipimus è conversatione vitia nostra; sed in conversationem afferimus.

§. XXII. Quamquam a. ex eo, quod improbamus solitudinem, jam constare videtur, neq; monasticos secessus nobis probari: lubet tamen speciatim quærere, *quid de monasticâ vitâ sit sentiendum?* Qui solitaria vitæ ex superstitione se devoverunt, & Monachi communiter

niter vocantur, in quatuor ordines solent distingvi. 1. Alij sunt Coenobitæ, qui à profanis, ut putant, hominibus secreti sub eadem regulâ vivunt. 2. Anachoritæ qui secedunt soli; degunt. 3. Alii Eremitæ, qui solitudines excolunt, & loca deserta religionis ergò petunt. 4. Alij circumcelliones & vagabundi, inde dicti, quod incertis hinc inde sedibus vagentur. *V. D. Christ. Matthia System. Eth. l. III. Exerc. 6. Disquis. p. 216.* Sed nos Monachorum omnium singularitatem rejicimus. I. Quia repugnat institutioni vitæ humanæ à Creatore optimo factæ. DEUS enim hominem sociabilem fecit; & quidem in societate vel œconomicâ, vel Politicâ, vel Ecclesiasticâ vivere voluit. Ab his societatibus divinitus institutis segregant se Monachi, & eam amplectuntur solitudinem, quæ præter hominum institutionem, ut plurimum superstiosam, nullam sui novit originem. II. Quia humanæ vitæ utilitatibus parum illi aut nihil inserviunt. Quæ illi de cultu DEO interim à se præstito nugantur, Theologis discutienda relinquimus. III. quia hæc solitudo gravissimorum scelerum causa fit. Abstinent à societate matrimoniali, & in solitudine eam perpetrant flagitia, quæ naturæ & Creatoris, matrimonij autoris, legibus adversantur. Nunquam tot sceleribus, perjurijs, incestibus, stupris, libidinibus contaminatus fuisset sacer ordo, nisi illi cœlibatûs necessitas fuisset injuncta. Unde pessimum Monachismi institutum arguimus. Nulla n. lex, ex rationabili causâ & providentiâ lata, ita comparata est, ut eam positâ tot foeditates, & horrendorum flagitiorum abominationes apud eos succrescant, qui in potestate sunt legislatoris, quæ eam non positâ nunquam erupissent? *V. D. Dorschei Hodeget. Cathol. Prelim.* Mira hic comminiscitur *Jacobus Boulducus Capuccinus*, ut colorem inducat Monachismo. Hic Nephilim quorum Gen. VI, 4. fit mentio, vult homines esse sanctioris vitæ, voti; rigidioris. Tales etiam fuisse Enakim, Raphaim, Zuzim, quorû in sacris fit mentio, nugatur: & ex ipsis Sanctis Veteris Test. nescio quem non ad Monachismum trahit. Sed straminea ista Monachismi fulcimenta facile per se ruunt, nec licet nobis ista persequi. *V. D. Dorschei Parallela Monast. & Acad. in Pref.* Nobis in præsentî solitudinem istorum hominum, & omnis profanæ, ut vocant, conversationis contēptum, reprehendere propositum fuit.

§. XXIII. Si cum quibus conversandum sit? quærat, Respondemus
1. Ex requisitis virtutum Homileticarum, cum iis, qui Comitatis,
Urbanitatis, & Veritatis sunt Studiosi. 2. Ex generalibus requisitis,
cum probis & honestis, & iis quorum tu consortio melior evadas,
qui ita se gerunt, ita vivunt, ut eorum probetur fides, integritas, equali-
tas, liberalitas: nec sit in eis ulla cupiditas, vel libido, vel audacia, sintq;
magnâ constantiâ, ut Cicero habet in *Lelio*. 3. Maximè cum æqualib;
& ætate & dignitate, & moribus. Nihil enim est amabilius, nec pla-
centius, quam morum similitudo bonorum. In quibus u. eadem studia
sunt, eademq; voluntates, in his sit, ut æq; quisq; altero delectetur ac sei-
pso: efficiturq; id, quod Pythagoras ultimum in amicitia putavit, ut unus
fiat ex pluribus. Cic. I. de Offic.

§. XXIV. Dubium hic movetur, an etiam cum infidelibus licita
sit conversatio? Ubi affirmativa nobis non displicet. Pro quâ faciunt
exempla Sanctorum, Abrahami, qui tempore famis commoraba-
tur, apud Ægyptios, Gen. XII. Isaacus cum Philistæis familiariter
vixit, Gen. XXVI. Et ipse Salvator noster Christus cum Pharisæis
conversabatur, & apud Samaritanos divertebat. Distingvimus ta-
men 1. inter externam conversationem Politicam, & inter conver-
sationem Spiritualem & Ecclesiasticam. 2. Inter conversationem
civilem nudam, & juramento confirmatam. Conversatio Politica,
cum potissimum respiciat negotiationes, contractus, obligationes
& commercia, quæ ut plurimum sunt juris gentium, cum infideli-
bus etiam licita judicatur. V. D. Liebenthals Colleg. Eth. Exerc. XII.
qv. 1. In Ecclesiasticâ verò conversatione cautiùs nos mercari de-
cet, ita ut si quis etiam ritus heterodoxorû solùm ex levitate quadã
invisere velit, non admodum probandum sit. Diversa verò est ra-
tio, cum quis jubente officio vel aliâ quâdam urgente necessitate id
facit. Exemplo prævit Naëman. 2. Reg. V, 18. Itemq; Elector Saxo-
niæ ab Orthodoxis Theologis excusatur quod Carolo V. Impera-
tori, missam audituro, gladium prætulit. V. Sleidan. I. VII. In cæ-
teris conversationum generibus diversitatem quandam observan-
dam esse putamus Nempe conversatio Politica, itemq; hospitalis
cum infidelibus facilius potest institui: Ethica non ita facilè: om-
nium verò difficillimè conjugalis, quanquam ea non sit absolutè
prohibita, V. D. Mentzer. Tr. de Matrimonio. Ubi Religionis, ait pro-
fessio

fessio vinculum est arctioris conjunctionis, & fit, ut nunquam, aut quā rarissimè, cui religioni sis iniquior, eā sincero & ardētī amore prosequare.

S. XXV. De Scholasticā conversatione in specie quærimus: *Utrū Parentes bonā cōscientiā liberos suos scholis Jesuitarum tradere possint?*
Resp. Jesuitarum Scholæ, quas orthodoxis etiam aperiunt, meræ sunt illecebræ ad papalem superstitionem. Neq; n. sumptus solūm suppeditant adcurrentibus; sed verborum etiam delinimentis primūm ipsis ablandiuntur. Postea ubi minus flexiles eos sentiunt ad superstitiones suas, cessat è vestigio gratia: quod satis indicio est, quorsum valeat tam liberalis institutio. Cui ergo pietas & vera Religio curæ fuerit, non poterit has consuetudines scholastico-Jesuiticas approbare. Parentes n. omnem offensionem & seductionem liberorum debent vitare, Dum verò liberos in scholas heterodoxorum mittunt, non declinant, sed præbent liberis seductionis occasionem, Deinde Scholæ sunt seminaria Ecclesiæ, nec liberaliū tantūm artium, sed & purioris doctrinæ cœlestis fundamenta in ijs ponenda sunt. Quanam verò falsi doctores veræ doctrinæ fundamenta suggerent? Tandem etiam experientia testatur rudiores sic paulatim infici & ad doctrinam hæreticorum assueferi. Quæ falsæ doctrinæ semina sensim radices agunt, adeo altas, ut semper aliquid hæreat ita infectis, nec postmodum in adultâ ætate extirpari possint. Sed inqvies: Acutioris Philosophiæ & promptioris Eloquentiæ nullibi magis facultas prostat, quam apud Jesuitas. His n. studiis dū vitam illi consumunt, nihil in ijs vulgare sapere videntur. Verūm eruditionis præstat quam pietatis & sanæ doctrinæ jacturam facere. Quamvis reverā nulla penitus eruditionis fiat jactura, cum fallaces Jesuitarum fordes non lambimus. Habet DEI beneficio, & purior Ecclesia Scholas, ex quibus, Jesuitis sæpè non inferiores, semper verò saniores, prodeunt & Oratores & Philosophi. Quid obsecro eruditionem apud malæ fidei doctores quærimus? Nimis suapte spontè præceps in vitium ruit natura, quid opus hoc impulsu?
S. XXVI. Quomodo honestè, prudenter & commodè conversari quæamus, ultimò observandum restat. Ejus verò rei gratiā *Vir- tutes Homileticæ* in Ethicis traduntur, in quibus dissertatio nostra in præsentī subsistet, aut ab iis non multūm abibit: ipsum verò universum hujus prudentiæ campum, ubi omnia cōversantium requi-
sita,

sita, maxima minima, expenduntur, non ingrediemur. Duo a. hic præcipuè observanda videntur primò alia quædam esse quæ causæ sunt conversationis; alia quædam quæ conversationem dirigunt, quamvis sint etiam quæ utroq; munere fungantur. Ita Virtutes Homileticæ & animos hominum per iram distractos conjungunt: & ad civilem conversationem plurimum faciunt. *V. Excellent. D. Wendel. Phil Pr. p. 318. Cicero lib. I de Officijs Principia communitatis & Societatis humanæ recensens, dicit ejus vinculum esse rationem & orationem, quæ docendo, discendo, communicando, disceptando, judicando conciliat inter se homines, conjungitq; naturali quâdam societate.* Deinde observandum putamus, non has solùm tres virtutes conversatrices in Conversatione esse utiles, sed plures alias. *Quamquã omnis virtus nos ad se allicit, facitq; ut diligamus, in quibus ipsa in esse videtur: tamen justitia & liberalitas id maximè efficit. Cic. I. offic.*

XXVII. Nos cum Aristotele & præcipuis Philosophis tres Virtutes Homileticas statuimus. Ita Philosophus II. Ethic. c. VII. *Ἐισὶ καὶ ἄλλαι τρεῖς μεσότητις, sunt etiam tres alie mediocritates inter se similes aliquo modo, sed tamen inter se differunt. Πᾶσαι μὲν γὰρ εἰσὶ πρὸς λόγων καὶ πράξεων κοινωνίαν. Omnes n. in sermonem actionumq; societate versantur.* Dicuntur a. solæ istæ Homileticæ quia singulari quâdam ratione & promovent & dirigunt conversationem. Ac ut cætera quidem Virtutes, non inutiles sunt congressibus; Ita Conversatio sine Homileticis virtutibus nec consistere, nec commoda esse potest. Numerant nonnulli plures ejusmodi Virtutes, ut D. Christianus Matthiæ Syft. Eth. I. III. p. 198. Civilitatem, Humanitatem, & Taciturnitatem habet. Sed Civilitatem & Humanitatem faciliè ad Urbanitatem & Comitatem reduxeris. Taciturnitas verò quamvis utilissima sit conversantibus, aliquantum tamè indirectè conversationem moderatur, nec tam in ipsâ conversatione prodest, quam ijs necessaria est, qui actu desierunt conversari, ne dicta secretò, temerè enuncientur, sicque conversatio destruat. Qualia si omnia huc referre velis, plura genera ponenda fuerint. Interim etiam Veritatis tractatio, sicubi usus postulaverit, eò excurrere poterit. Nos verò hîc cursum sistim⁹, illudq; Ciceronis non postremum circa conversationem monitum adscribim⁹: Quoniam vivitur non cum perfectis hominibus, pleneq; sapientibus; sed cum iis, in quibus, præclare agitur, si sint simulacra Virtutis: etiam hoc intelligendum puto, neminem omnino esse negligendum, in quo aliqua significatio virtutis appareat.



05 A 868

ULB Halle

3


003 761 096



100 A







78.

Q. D. B. V.
DISSERTATIO ETHICO-POLITICA
De
CONVERSATIONE

et
Virtutibus eam dirigentibus
in genere,
quam
in Celeberrimâ ad Albim Academiâ
publicæ disquisitioni sistunt

PRÆSES
M. SAMUEL HENTSCHEL
Lefnensis,
ET RESPONDENS
GODOFREDUS GEBAUERUS
Wolaviâ-Silesius.
ad diem 16. Julij A. M. DC. LIX.

WITTEBERGÆ,
Typis JOBI WILHELMI FINCELII.

78

